

NOTIZIARIO DELLA CONFERENZA EPISCOPALE ITALIANA
a cura della Segreteria Generale

NUMERO 10


30 DICEMBRE 1984

Auguri natalizi del Santo Padre

Si riproduce, per documentazione, l'autografo con cui il Santo Padre, Giovanni Paolo II, ha fatto pervenire ai Vescovi, tramite il Presidente della Conferenza Episcopale, l'augurio per le festività natalizie 1984.

Il Cardinale Presidente, in data 21 dicembre 1984, con lettera prot. 1089/84, ha inviato a tutti i Vescovi fotocopia del citato autografo, sottolineando il gesto di squisita fraternità con cui il Papa manifesta la sua benevolenza e la sua vicinanza spirituale a tutti i fratelli nell'Episcopato e a tutte le comunità diocesane.

Il Cardinale Presidente, inoltre, ha manifestato al Santo Padre il pensiero di profonda riconoscenza, assicurando che i Vescovi italiani « accolgono con fede e piena disponibilità il fraterno invito a intensificare la pastorale giovanile nel nuovo anno 1985 » ed esprimendoGli « l'augurio più sincero e più vivo perché il Santo Natale e l'Anno nuovo siano portatori di tanta gioia e consolazione, divino viatico all'opera tanto delicata e tanto preziosa che Egli svolge a favore non solo della cristianità ma di tutta l'umanità ».



Venerabilis Frater,

Adpetente adoranda Christi Nativitate, facere non possumus quin tibi ac Venerabilibus Fratribus Episcopis istius Nationis has Litteras mittamus, ut sensus animi Nostri cunctis aperiamus: sensus, inquam, ingentissimi gaudii ob ineffabile Redemptionis nostrae donum, quae ab ipsis sanctissimis Cunis exordia sumpsit; et vivacis spei, Nocte illa natae, immortalium bonorum; amoris tandem, quem terrestris Dei suscitavit origo; qui sane humana carne indutus, similis nobis apparuit absque peccato (cf. Hebr. 4, 15). Ac, praeter haec, affectuum cogitationumque cumulus serpit in pectore, quae mox ante humile Christi Praesepe solventur in preces. Renovet, precamur, Omnipotens in te ceterisque Praesulibus momenta illa beata, quibus Virgo Mater, Joseph,

ac rapti pastores tanta experti sunt, quanta vix fas est mortali homini fingere.

Cum his tamen etiam gratum animum sive tibi, Venerabilis Frater, sive etiam reliquis Episcopis patefacere placet, ob actuosam operam quam apud greges vestros omnes insumitis; ob assiduitatem, qua vineam Dei Sabaoth exercetis; et studia vestra erga Nos et hanc Petri Sedem; et curam, qua, ad postulata huius temporis, sive Ecclesiae sive civilis Societatis, animum intenditis. Quamque vero id sit magni faciendum, nemo non videt: Episcopos enim, hoc est Apostolorum heredes, uno eodemque consilio cum Petri successore conspirare, non modo bonum, verum etiam necessarium est: cum exinde et animus enascatur utrisque ad coepta maiora, et laetior unde messis colligatur.

Non sane te, Venerabilis Frater, Conlegasque tuos latet quae quantaque negotia annus, qui imminet, sit laturus: ne multa, agitur hinc de veris necessitatibus aetatis nostrae intellegendis ut iis satis faciamus, maxime iuvenum; hinc de sacrosanctis religionis Christi principiis integre servandis, ne facili declivitate fides ac mores labefactentur; quod nimirum, praeterquam quod veritati officit, neque speratos fructus afferret. At illa proponere, quae naturalibus hominum desideriis

repugnant, arduum semper fuit ac perdifficile, sive praeteritis aetatibus, sive nunc. Qua re oportet omnium in unum conferantur consilia, cor caelesti firmetur instinctu, gratia de caelo impluat animis fertilis.

His de rebus certi, iam nunc gratias reddimus iustas: tibi primum, qui Coetui praees, reliquis deinde Episcopis pari amore, id paterno pectore optantes, ut divinus Christi Natalis, sicut est unicuique nostrum haud fallacis causa laetitiae, ita sit etiam caelestis auxilii perenne principium.

Ceterum, "gratia D. N. J. C. et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis" (II Cor. 13, 13).

Ex Aedibus Vaticanis, die XVIII mensis Decembris, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri septimo.

Joannes Paulus PP